

nitate, egregio portu spectata, ut merito horreum, armamentarium, atque arx Christianorum vocari posset. Equites domibus, ac patria pulsi, humanisque omnibus incommodis affecti, classi hyberno tempore impositi, innumeris periculis defuncti, mari denique tempestatibus, ac procellis in ipsos faviente, tandem ad Candidam Cretæ insulæ primariam urbem pervenere. Ibi a Dominico Trivisano classis Imperatore, universa effusa civitate, Magnus Magister honorifice, atque haud sine lachrimis est exceptus; qui instaurata classe, recentibus nautis, ac commeatu instructa, cum postea mense februario Creta solvisset, mari Aegeo, ac Ionio emenso, Corcyrae a Reipublicæ magistratu omnibus humanitatis, benevolentiaque officiis cultus, Romam ad Summum Pontificem pervenit. Is, priscis Religionis Hierosolymitanæ privilegiis confirmatis, auctor fuit, ut a Carolo Imperatore in Melita insula, quæ in Siculo mari sita est, sedes Equitibus assignarentur.

*Melita a
Cæsare
Equitibus
Hierosoly-
mitanis as-
signata.*

Dum Rhodus acriter a Turcis obsideretur, majoraque in dies Suleimanus virium incrementa fumeret, vel tacentibus Principibus Christianæ res per se ipsæ pacis, ac concordia rationes exposcere videbantur. Ac sane Hadrianus Pontifex optime in commune bonum propensus, Senatusque Veneti literis excitatus, omnes Principes, ut ad pacis studia se converterent, atque ab armis discederent, sedulo adhortabatur; ut confirmatis, ac conjunctis viribus, quæ intestinis bellis debilitatæ fuerant, Turcis Italiæ minitantibus obsisteretur. Verum hæc ad speciem magis, quam ad veritatem Principum animis excipiebantur; quamvis Carolus Imperator, Gallis ex Cisalpina Gallia ejectis, Lautrechio Alpes transgresso, ut Insu-
subribus tuto potiretur, mirum in modum rebus suis conducere existimaret; si pace cum Venetis inita, illorum auxilia sibi ad nuper adeptam provinciam retinendam adjungeret. Quapropter cum in Britanniam, coram de communibus cum Henrico rebus acturus, navigaret, ut Rempublicam in suas partes traheret, vehementer laboraverat; eaque de re, & per se ipsum, ac per magnum Cancellarium, Palentiaque Episcopum cum Gaspare Contareno graviter egerat: neque minus id Henrico cordi erat, qui cum Cæsare foedus percusserat; Itaque Thomas Cardinalis Archiepiscopus Eboracensis, cujus
summa